

limitatione vel conditione donatur. (8. Donatio non pura, seu conditionata est illa, quæ aliquid simpliciter donatur sub certa aliqua conditione, ut dono tibi hunc equum, si hoc, vel illud facias; et hæc etiam non dicitur proprie donatio, quia donatio propria debet esse facta propter solam, et meram liberalitatem donantis; l. 1. ff. de donationibus.)

(9. Quarto, dividitur in donationem inter vivos, et donationem mortis causa. Utraque hæc donatio sic definitur in jure l. 1. *Senatus*, § 2. ff. de mortis causa donationibus: Donatio inter vivos est, « cum is, qui donat, mavult habere illum, cui donat, quam se, » Donatio mortis causa est, « cum habere quis se mavult, quam eum cui donat; magisque eum cui donat, quam hæredem suum: » optimæ quidem definitiones; sed quia obsecræ, sic quia clarius dantur. (10. Donatio igitur inter vivos est, quæ sine mentione, cognitione, aut suspitione mortis fit, vel fieri potest; § *Aliæ autem* 2. Institut. de donationibus. Toties enim censetur donatio inter vivos, quoties absolute quis donat actu aliquid alteri absque ulla mentione, vel suspitione mortis suæ, aut sine omni simili addito sive tunc sit sanus, sive ægrotus, ac moribundus etiam in ipso testamento, vel codicillo, dummodo animus sit jam statim transferendi dominium in donatario acceptantem per se, vel per alium legitime suas vires gerentem, quia etiam infirmus, vel in periculo mortis constitutus vere donare potest inter vivos; si enim aliunde non expressit, inter vivos donavit, ut ex Molina et aliis recte observat Tambur. lib. 9. tract. 10. de donat. c. 2. § 1. num. 9. arg. l. *Seja* 42. § 1. ad fin. ff. de donat. (11. Donatio mortis causa est illa, quæ intuitu mortis, et cum expressa mentione ejusdem fit, ut colligitur ex § 1. Institut. de donat. ubi sic dicitur: « Mortis causa donatio est quæ propter mortis fit suspitionem. » Dicitur autem notanter cum expressa mentione mortis, quia quando nulla fit mentio mortis, præsumitur donatio inter vivos, etiamsi interne intuitu mortis donare intenderit, ipsamque donationem in summo mortis periculo fecerit donator, ut tenet communis Doctorum, arg. cit. l. *Seja* 42. § 1. ff. de donationibus. Hinc pro exemplo inferitur, quod si Petrus v. g. in mortis articulo constitutus, dicat absolute sine ullo addito: Dono Paulo centum hos aureos, illum equum, et hujusmodi, ista est donatio inter vivos, quia nulla fit mentio mortis. Si vero Petrus dicat: Quia video me brevi moriturum, vel quia omnes moriemur, vel quia et ego aliquando mori debeo, dono Paulo centum aureos, meum equum, et hujusmodi, ista est donatio mortis causa, quia ob expressam mortis mentionem clare patet donantem intuitu et consideratione mortis donasse.)

(12. Donatio mortis causa potest fieri tribus modis, qui referuntur l. 2. ff. de mortis causa donationibus, ibi: « Tres esse species mortis causa donationum, Julianus ait. Una cum quis nullo præsentis periculi metu

conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. Aliam esse speciem mortis causa donationum, ait, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis. Tertium esse genus donationis, si quis periculo motus non sic donet, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit secuta. » (13. Ubi vides, quod donatio mortis causa fieri potest non tantum in evidenti, et præsentis, sed et in futuro mortis periculo, et in quavis infirmitate; immo etiam tempore perfectæ sanitatis, dummodo intuitu mortis fiat, et mentio mortis expressa habeatur; ut tenet communis Doctorum per mox cit. l. 2. ff. de mortis causa donat. et per l. *Senatus* 33. § 4. ff. eod., ubi sic habetur: « Mortis causa donatio fit multis modis. Alias extra suspitionem ullius periculi a sano, et in bona valetudine posito: cui ex humana sorte mortis cogitatio est; alias ex metu mortis, aut ex præsentis vitæ periculo, aut futuro; siquidem terra, marique, tam in pace, quam in bello, tam domi, quam militia, multis generibus periculum mortis metui potest. »

(14. Donatio mortis causa expirat, seu tacite revocatur quatuor modis, ut desumitur ex § 1. Institut. de donationibus. (15. Primo expirat ipso jure, cum cessat infirmitas, seu mortis periculum, occasione et intuitu ejus donatio facta est, cit. § 1. Institut. de donat. ibi: « Sin autem supervixisset is, qui donavit, reciperet. » (16. Secundo expirat ipso jure, cum donatarius moritur ante donatorem, cit. § 1. Institut. de donat. ibi: « Aut prior decesserit, cui donavit » concordat l. *Si vir uxori*, § *Uxor viro*, ff. de donat. inter vir. et uxor. (17. Tertio cessat ipso jure, cum Donatorem pœnitet donationis factæ, cit. § 1. Institut. de donat. ibi: « Vel si eum donationis pœnituisse. » (18. Quarto cessat ipso jure, cum donator pœna capitis afficitur, l. *Si aliquis* 7. ff. de donat. ibi: « Si aliquis mortis causa donaverit, et pœna fuerit capitis affectus, removetur donatio ut imperfecta; quamvis cæteræ donationes sine suspitione pœnæ factæ valeant. »

(19. Donatio mortis causa differt a donatione inter vivos potissimum in tribus. Primo, quod donatio inter vivos semel rite facta ex se, et rebus immutatis est irrevocabilis, statimque transfert dominium irrevocabiliter, l. final. Cod. de revocat. donat. Non sic autem donatio mortis causa, quæ ante donantis mortem firma non est quia semper vel donantis pœnitentia, vel propter donatarii prævenientem mortem, vel aliquo alio ex mox dictis modis extinguere potest, ut habetur l. ff. de donat. ibi: « Non videtur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors » Donatarii « insequatur, » et d. § 1 de donatione per adductos textus numero antecedenti. (20. Secundo, quod donatio mortis causa evanescat moriente ante donatorem donatario, nec transmittatur in hoc casu ad hæredes, cit. § 1 de donationibus. Secus in donatione inter vivos. (21. Tertio, quod ad donationem inter vivos quingentos solidos excedentem requiratur insinuatio apud Ju-

dicem, arg. §. *Aliæ autem* 2. Institut. de donationum. Non sic autem ad donationem mortis causa, l. fin. C. de donat. mortis causa.

(22. Ad valorem Donationis sive inter vivos, sive mortis causa, requiritur voluntas, et animus donandi ex parte donantis, et acceptatio ex parte donatarii, l. *In omnibus* 53. ff. de obligat. et act. l. *Absente* 10. ff. de donat. (23. Voluntas, et animus donandi in donatore sufficit quod manifestetur aliquo modo, sive ore tenus, sive in scriptis, sive præsentis, sive absentis fiat, arg. l. *Nec ambigi* 6. ac l. *Si aliquid* 13. Cod. de donat. (24. Sic etiam acceptatio sufficit quod fiat a Donatario sive scriptis, sive verbis, sive solis signis. (25. Immo si quis donat præsentis, isque tacet, consentire, et acceptare videtur, ut docet Julius Clarus lib. 4. §. *Donat.* qu. 14. num. 5. Pirhing l. 3. decretal. tit. 24. n. 2. Engel ibid. num. 2. Reiffenstuel ibid. num. 11. et communis aliorum, arg. Reg. 43. juris in 6. ibi: « Qui tacet, consentire videtur. » (26. Donatio facta Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, statim obligat, quamvis a Rectore, vel Administratore Ecclesiæ, vel causæ piæ absente nondum sit acceptata; Barbosa l. 2.

(1) Naviter, atque egregie Cl. Auctor noster in hoc Articulo, ac sequentibus, Juris præsertim Civilis sanctionibus productis, illustrat hujusmodi doctrinæ caput, quod donationes complectitur. Ad plenioram tamen cumulum non levis momenti controversiam hic discutiendam suscipere operæ pretium duximus.

Controvertitur itaque inter Theologos: num scilicet facta alicujus rei donatione absentis, eidem significanda per epistolam, aut per nuntium destinatum; si interim dum ejus rei nuntius deferatur ad absentem donatarium, donator e vivis excedat ante omnem acceptationem; num isto vita functo poterit a donatario res donata acceptari, ac retineri?

Qua quidem in re parti affirmativæ adhæsit Sanchez lib. 1. de Matrimon. disp. 6. n. 5. eumque secutus Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 45. arbitantes donationem in allata hypothesi posse a donatario, non obstante morte donatoris ante acceptationem, et acceptari, ac retineri; quippe quæ valida ac perfecta est ex una parte saltem revocabiliter. Leg. Nec ambigi 6. C. de donationum.

At vero recensitæ sententiæ refragatur Cl. Paul. Layman lib. 3. de Just. tractat. 4. cap. 1. de Pactis, etc., oppositamque præfert opinionem, atque enixius tuetur, appellans istam communioram, et veram: Hujusmodi scilicet donationes non esse validas mortuo donatore ante acceptationem, quæ quidem sententiæ, ut ipse arbitratur, apertissimis Cæsarei Juris sanctionibus innititur, atque manifesto probatur. Uti videre est in leg. Si cum filius 2. § Sed si quis, et leg. Absenti 10. ff. eod.

Probabilior tamen, ut verum fateamur, nobis videtur sententiæ Sanchez, quam loc. laud. pluribus probat, atque confirmat; nec ipsa, ut arbitratur Layman, convellitur, atque evertitur ex allatis legibus; quandoquidem ibi non perfecta donatio, sed donandi mandatum describitur; quemadmodum, et in leg. Ejus, qui 41. ff. de Reb. cred. Et leg. Si quidem 8. C. de Obligat. Quod quidem sat luculenter eruitur ex laud. leg. Si cum etc., ubi hæc habentur: « Sed si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, ut ad me perferret, et ante mortuum erit, quam ad me perferat, non fieri pecuniam Domini mei constat? » Hinc ipse Covarruvias, quem pro contraria sententiâ adducit laud. Layman, disertè docet ibi agi de mandato donandi; quod profecto morte

juris Eccles. cap. 13. num. 29 Tiraquell. de privileg. piæ causæ, privileg. 115. Engel l. c. num. 21. Reiffenstuel l. c. num. 12. Abbas, Molina, et alii passim; et ratio est, quia quod donatur, vel promittitur Ecclesiæ, aut alteri piæ causæ, censetur donatum, aut promissum ipsi Deo; argum. c. *Nulli liceat* 3. caus. 12. quæst. 2. Deus autem ubique præsens et acceptans est (1).

(27. Donatio excedens quingentos solidos insinuari debet apud Judicem; id est debet donator declarare, et manifestare Judici se id donare, et ab ipso petere, ut instrumentum conficiatur, et in Acta indigatur, § *Aliæ autem* 2. Institut. de donat. Quamvis enim olim donatio excedens ducentos, et postea trecentos solidos insinuationem requisierit l. *Sancimus* 34. et l. penult. in fin. ff. de donat., tamen hodie, si quingentos solidos non excedat, non jubetur insinuari apud Judicem, textu claro in d. § *Aliæ autem*. (28. Et si donatio excedens quingentos solidos non insinuetur apud Judicem, invalida est; cit. § *Aliæ autem* 2. Institut. de donat. et arg. l. *Sancimus* 34. et l. penult. in fin. ff. de donat. (29. Talis autem omissa insi-

mandantis cessare atque extinguere nemo omnium ignorat juxta leg. Mandatum C. Mandati; et § Præterea Institut. eod. quodque disertissimis verbis docet atque inculcat laud. Sanchez.

At in casu per nos proposito sat per se patet non agi de mandato donandi, sed de donatione perfecta, cujus tantum significandæ causa donatario nuntius fuerat destinatus, aut epistola transmissa. Hanc, inquam, validam esse, proindeque recte a donatario acceptari, ac retineri posse, donatore etiam ante acceptationem defuncto, perquam recte, uti videtur, docet, atque tuetur laud. Sanchez.

Quod autem opponat Layman ad validitatem contractus, proindeque ad transferendum jus, seu dominium, exigi, ut utriusque contrahentis consensus jungatur; quod quidem in adducta per nos hypothesi fieri non potest; siquidem, cum donatarius donationem per nuntium significatam acceptat, donator jam fato concesserat, atque e vivis fuerat ereptus; per mortem autem extinguitur consensus donantis, argumento ducto ex Cap. Si gratiose 5. de Rescript. in 6. Id quidem parum, aut fortasse nihil obesse videtur; quando quidem voluntas ac consensus donantis, cum non fuerit revocatus, censetur perdurare ac perseverare in ipso nuncio, atque epistola, per quos erant significanda, uti recte docet laud. Sanchez, ut proinde conjungi possit cum consensu donatarii.

Demum quod idem Layman docet, donationes omnes inter absentes non fieri per nuntios tamquam executores donationis factæ; sed tamquam procuratores, ac mandatarios donationis faciendæ juxta domini voluntatem, id quidem minime probatur. Etenim utrovis modo fieri posse nihil impedit. Quando vero donatio facta censenda sit per nuntium velut merum executorem donationis factæ, aut per mandatarium, apposite, atque opportune explicat laud. Sanchez n. 7. Cæterum ipse Layman minime diffidet hujusmodi donationes inter absentes factas, etiam mortuo donatore ante acceptationem, a donatario posse acceptari, ac retineri. Qua de re lege si vis laud. Theologum loco citato. Hic porro quædam alia discutienda circa pollicitationes forent, sive promissiones nondum acceptatas. Verum illa in opportuniorem locum rejecta nanciscetur eruditus lector, cum agendum erit de promissionibus. (Edit. Neap.)

nuatio non invalidat totam donationem, sed tantum quoad excessum supra quingentos solidos, quia in iis, quæ dividi possunt, « Utile non debet per inutile vitiari, » ut habet præcise Regul. 37, juris in 6, et l. *Si sponsus* § 2, de donat. inter vir. et uxor. (30. Solidus autem in Jure pro aureo accipitur, ut constat ex l. fin. junct. Glossa verb. *Aureos*, ff. de in jus vocando, et notat Glossa 1, in cap. *Placuit* 1. caus. 10, quæst. 3, et antiquitus septuaginta duo solidi unam libram auri constituiebant, ut patet ex l. *Quotiescumque* 5, Cod. de susceptibus l. 10, et ibidem notant Glossa, Bartol. Ancharanus et alii. Unde quingenti solidi circiter 700, aureos italicos, seu scuta, vel secundum alios 800, conficiebant; Julius Clarus l. 4, § *Donatio* q. 14, n. 1, Layman lib. 3, de justitia tract. 4, cap. 12, n. 15, Rebell. part. 1, l. 28, qu. 6, num. 5, Everard. tit. 1, consil. 19, n. 32, Pirhing l. 3, decretal. tit. 24, num. 5, Reiffenstuel ib. num. 15. Hodie vero secundum generalem, et passim receptam consuetudinem per solidum intelligitur aureus Hungaricus, seu apud nos Ducatus, qui veteri illi solido, seu aureo suffectus est, ita ut quæ de solido in Jure Civili statuta sunt, ad nostratam aureum, seu Ducatum referenda sint; Mysinger. in § *Alia autem* 2. Instit. de Donationibus, Schmid. ibid. 24, Pirhing. loc. cit. n. 5, Reiffenstuel. loc. cit. n. 15, et alii.

(31. Dantur tamen plures donationes, quæ licet excedant quingentos solidos, valent absque insinuatione. Primo, valet absque insinuatione donatio facta alicui pro reparatione ædium suarum, quæ ruina, vel incendio consumptæ sunt; l. penult. § *eandemque*, Cod. de donat. vel pro redemptione captivorum; cit. l. penult. in princip. (32. Secundo, valet absque insinuatione in utroque foro, conscientie scilicet, et externo, Donatio facta in quacumque quantitate Ecclesie, Monasterio, vel alteri pio loco, vel ad quamlibet causam piam; Julius Clarus lib. 4, § *Donatio* quæst. 77, num. 1, Pirhing loco cit. num. 6, Reiffenstuel loco cit. num. 16, cum communi Canonistarum, et Theolog. arg. cap. 19, Matth. ibi: « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Nec obstat, quod in l. *Illud* 19, Cod. de SS. Ecclesiis, et in l. *Sancimus* 24, § *Alias vero*, Cod. de Donationibus, irriterur donationes factæ ad pias causas ultra quingentos solidos; nam ultra quam quod dictæ leges civiles videntur sublata, et correctæ ab ipsomet Jure Civili; cit. l. 34, de Donat. ibi: « Exceptis donationibus, quæ in causas piissimas procedunt; » et l. 36, Cod. eod. Causæ piæ non subjacent dispositioni Juris civilis; arg. cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de constitutionib. ibi: « Nos attendentes, quod Laicis etiam Religiosis super Ecclesiis, et personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit ap-

probatum; » sed ipsæ causæ piæ debent judicari secundum Sacros Canones, textu expresso in c. *Relatum* 11, de testamentis, ibi: « Relatum est, quod cum vestrum examen super relictis Ecclesie deducitur, vos nisi septem, vel quinque idonei testes intervererint, inde postponitis judicare, » et infra: « Mandamus quatenus, cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. »

(33. Tertio, valet absque insinuatione donatio remuneratoria beneficiorum, vel obsequiorum, quia non est vera donatio, ut colligitur ex l. *Aquilinus* 27, junct. Glossa verb. *Non meram*, et l. penult. § *Si quis*, ff. de donationib. (34. Attendendum tamen est, ne donatio remuneratoria excedat nimis merita donatarii, quia quoad illum excessum esset insinuanda, cum quoad talem excessum non esset remuneratoria, sed mere liberalis, quæ debet insinuari l. *Sancimus* 34, l. penult. In fin. Cod. de donat., et cit. § *Alia autem* 2. Instit. eod. Et sic tenent Clarus loco cit. quæst. 3, n. 3 et 4, Pirhing. loco cit. n. 6, Azorius part. 3, lib. 9, de donat. cap. 6, quæst. 4, et communis aliorum. (35. Et generaliter loquendo omnis donatio, quæ fit ob aliquam causam, v. g. ad militiam, ad studia, ad nuptias, et hujusmodi, non indiget insinuatione; l. *Hoc jure* 19, § *Labeo*, et § *sed et hæc* ff. de donat. et ratio est, quia talis donatio propter similes causas facta, non est propria, et perfecta donatio; nam propria, et perfecta donatio fit ob meram liberalitatem cit. l. 2, de donationib. et cum lex requirens insinuationem sit odiosa, quippe restringens liberam facultatem donandi, non est extendenda et amplianda ultra donationem propriam, et perfectam arg. Regul. 15, Juris in 6, ibi: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari. » Julius Clarus loco cit. q. 19, Pirhing. l. c. n. 6, Reiffenstuel. loco cit. n. 19, et alii passim.

(36. Quarto, valet absque insinuatione donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quam belli dux facit militibus tam ex suis bonis, quam ex spoliis hostium; sive in ipsa belli occupatione, sive in quibuscumque aliis locis, et temporibus; l. *Si quis* 36, § 1, Cod. de donationib. (37. Quinto valet absque insinuatione donatio, quam Princeps supremus facit privato; l. *Sancimus* 34, de donationib. Aut privatus facit Principi Supremo; Authentic. immediat. sequent. Leg. 34, Cod. de donationib.

(38. Si sit facta aliqua donatio ultra taxatos a Lege quingentos solidos, potest donatarius tuta conscientia etiam excessum retinere; donec a donante, vel ejus hærede repetatur, vel per Judicis sententiam rescindatur donatio, quo ad illum excessum supra taxatos quingentos solidos; non enim reddunt donatarium inhabilem ad retinendum, sed tribuunt donatori potestatem pro arbitrio illam excedentem summam repetendi; unde do-

natarius tuta conscientia retinere potest excessum illum, donec repetatur, scienti enim et volenti non fit injuria; Molina tract. 2, disp. 378, num. ult. Lessius lib. 2, cap. 18, num. 89, Layman loco cit. c. 12, num. 15, Pirhing. loco cit. num. 7, et alii.

(39. Donatio hunc parit effectum, quod licet sit solum donatio verbalis, quæ absque actuali traditione rei donatæ fit, obligat donatorem ad tradendam rem donatam, si Donatio a donatario fuit acceptata, textu expresso in § *Alias vero* 2. Instit. de donationib. ibi: « Donationes etc., etiamsi (res donatæ) non tradantur, habent plenissimum, et perfectum robur, et traditionis necessitas incumbit donatori. » (40. Immo in casu, quod donator nolit reddere rem donatam, conceditur donatario actio contra ipsum ad tradendam rem verbaliter donatam; l. *Si quis argentum* 33, Cod. de donat. (41. Donator tamen, si actione conveniatur ad tradendam rem donatam casu quo solvendo totum promissum, seu verbaliter donatum, nequeat alios creditores amplius solvere, vel se honeste sustentare amplius non possit, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere, textu expresso in l. *Qui ex donatione* 12, ff. de donationibus ibi: « Qui ex donatione se obligavit, in quantum facere potest, convenitur; sed enim id, quod creditoribus debetur, erit detrahendum; » concordat l. *Qui id.* 33, ff. eod. ibi: « Actione non solidum sed quantum facere potest convenitur. » (42. Si autem donator sit in mora tradendi rem donatam, non tenetur fructus ex re donata interea præceptos donatario restituere, textu expresso in l. in ædibus 9, § 1, ff. de donat. ibi: « Ex rebus donatis fructus percepti in rationem donationis non computantur. » (43. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuris solvere, ut expresse cætur l. *Eum qui* 22, ff. eodem, ibi: « Eum qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est: » Aliter donatori sua liberalitas nimis esset damnosa. Tum quia res domino suo fructificant; ante traditionem autem, donatarius nondum est dominus rei donatæ, cum dominia rerum transferantur, non nudis pactis, sed traditionibus; l. *Traditionibus* 20, Cod. de Donationibus.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Donatio ex quibus potius causa mortis quam inter vivos dicenda sit, tum an solemnitates a Statuto inductæ quoad donationes requirantur in donatione causa mortis ad ejus validitatem, plenissime discutit Rota in Nullius Civitellæ Immissionis 17. Junii 1748. Cor. R. P. D. Elephantut.

#### ARTICULUS II.

*Donatio quoad personas, quæ donare possunt vel non, et in qua quantitate.*

(1. Donare potest omnis ratione utens,

(1) Hic Auctor noster agens de Pupillis, ac Minoribus donationibus profusis aliquid momenti alien-

lege non prohibitus, habens plenum dominium, seu liberam administrationem rei suæ; quisquis enim rei suæ moderator, atque arbiter existit, ut dicitur in l. *In re mandata*, eod. *Mandati*. (2. Donare autem non potest pupillus, minor, furiosus, amens, prodigus etc. quia per vulgaria Juris, et per communem Doctorum, omnes, qui administratione bonorum suorum sunt privati, uti sunt supradicti, etiam alienare et donare sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris prohibentur. (3. Tutores, et Curatores non possunt donare aliquid de bonis, quæ administrant, textu expresso in l. *Contra juris* 38, § fin. de pactis, ibi: « Juliano placet, etiamsi maximam quis administrationem peculii habeat concessam, donandi jus eum non habere; » et concordat l. *Lucius* 46, § fin. ff. de administrat. tutor. (4. Possunt tamen Tutores, et Curatores ad proportionem conditionis, et facultatum sui Principalis facere proportionatas donationes remuneratorias pro meritis, et servitiis suo Principali collatis; sicuti possunt facere illas donationes, et elemosynas, quæ pro more, et consuetudine fieri solent ab aliis parvis conditionis sui Principalis; l. *Cum plures* 12, § 3, ff. de administrat. tutor. ac l. 13, ff. eod. et est communis Doctorum sententia.

(5. Uxor potest libere donare, atque elemosynas facere de bonis suis paraphernalibus et de iis bonis, quæ extra bona communia dotalia aliunde acquirit, ut ex donatione, legato etc. ex opera, vel arte ad familiæ gubernationem non necessaria, nec nociva. Sic communis; reliqua vid. verb. *Bona* art. 4, ubi late de donationibus, et elemosynis, quas uxor facere potest vel non. (6. Filiusfamilias donare potest etiam invito patre de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus; ipsa enim pertinent ad liberum ipsius dominium, et administrationem; l. *Si filiusfamilias*, ff. de donat. § 6, ibi: « Cæterum qui habent castrense peculium, vel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare, et mortis causa, et non mortis causa possint, cum testamenti factionem habeant, » et l. 2. *Castrensi*, ff. de peculio castrensi, et est communis; reliqua vid. verb. *Bona* art. 4. (7. Pupillus et Minorennis, si pubes sit, etiam invito Tutore, vel Curatore, potest facere donationes, elemosynas, vel alios sumptus moderatos pro sua conditione, et facultate, prout aliis parvis conditionis passim permitti solet; id enim exigit decentia status sui. *Est communis* cum Molina tom. 2, disp. 277. (8. Si autem talis pupillus, et minorennis profuse, et excessive donet, vel expendat, peccat, quia agit contra præscriptum ejus, cui tenetur obedire: Illi tamen, quibus talis donatio facta est, non tenentur ad restitutionem, donec donatum a Tutore, vel Curatore repetatur vel ipse donator petat restitutionem in integrum. Molina tom. 2, dis. 224, 261 et 277, Lessius lib. 2, cap. 18, dub. 11, n. 81, Sporer loco cit. n. 29, et alii passim (1).

nantibus nullo tutoris, aut curatoris accedente consensu; cum doceat res hujusmodi hac ratione a Pu-